

Q. D. B. V.

**I D E A M
CORDATI THEOLOGI,**

nuper conspicuam,
nunc oculis nostris ereptam:

h. e.

V I R U M

*Summè Reverendum, Magnificum &
Excellentissimum*

**DN. GOTTLLOB-FRIDE-
RICUM SELIGMANNUM,**

SS. Theol. Doct. celeberrimum, nec ita pri-
dem apud Lipsienses Professore, Pastorem ac
Consistorialem undiqvaq; meritissimum,

nuper demum

**IN AULA SAXONICA REGIO-
ELECTORALI**

Antistitem Sacrorum Primarium & Con-
siliarium Ecclesiasticum,

in solenni PARENTATIONE

d. 24. Januarii M DCCCVIII.

celebrabit

GYMNASIUM ZITTAVIENSE.

cui ut interesse dignentur

**Omnes VIRTUTUM ADMIRATO-
RES & CULTORES**

decenter rogat

CHRISTIANUS WEISE, Gymn. Rect.

Zittavia,

Typis Michaëlis Hartmanni.

26



Olenne Zittaviensibus nostris est, ut si filios suos aliis in locis inclaruisse videant, eorum memoriam sanctam simul & illibatam conservent. Ita MASCUS Rectoris Zittaviensis filius, Academiae Lipsiensis Professor ac aliquoties Rector, tandem intimus Ducum Anhaltinorum Consiliarius, per integrum fere seculum solenni quadam Oratione fuit celebratus. Eandem sortem expertus est Andreas KOHLIUS, in Aula Brandenburgensi Consiliarius, & vice Cancellarius, qui Parentem nactus Zittaviensem, quinquaginta jam abhinc annis nova subinde memoria floret. Taceo Consules, Praetores, virosque vel eruditione vel prudentia claros, quibus vel in hoc triginta annorum circuitu, quo Rectoris munere fungor, solennem recordationem praestare fuimus conati.

Cur igitur ab hac consuetudine discedamus, postquam vivis excessit Archi-Diaconi quondam nostri FILIUS, qui propriis meritis Zittaviensium gloriam sic adauxit, ut, qui Virum rebus humanis diutius interfuisse cuperent, lugendi nunc, vel quod Christianos decet, pia memoriae debitum officium observent.

Et quemadmodum in templo nonnulla Viri spectatissimi facta fuit mentio, quam deinde campanarum quoque pulsibus confirmari noveramus: ita majorem venerationem ad se pertinere credit Gymnasium, ex quo velut plantario Vir celeberrimus annis abhinc quatuor & triginta progressus est. Elegimus huic officio diem hujus mensis 24. Timotheo sacrum: ut vel hoc nomine quanto viro parentandum sit, intelligamus. Ast ubi per consuetudinem solennis aliqua praescriptio requiritur, quae spectatissimis & amicissimis hospitibus aditum sternat promptiorem: nihil aliud fieri commodius potuit, quam ut succinctam vitae historiam repetamus, ne nimia dicendi copia futurus parentator obrutus, aliquam vel prolixitatis vel fastidii suspensionem incurrat.

Singulis vero notus adhuc esse potest, Vir Plurimum Reverendus & Amplissimus Dominus ZACHARIAS SELIGMANNUS nostrae Zittaviae ad Divi Johannis Diaconus, qui post FILIUM illustri-
bus

bus nunc negotiis districtum secundo genitum hunc suscepit GOTT-
LOBUM FRIDERICUM Anno M DC LIV. 21. Novembris. Cre-
scentibus annis in Gymnasio nostro locum invenit, ut ubiq; Præce-
ptorum favorem, commilitonum conjunctionem, ingeniorum dili-
gentissimorum æmulationem provocaret. Præceptoribus aliquanto
profectior usus est Rectore VOGELIO, Con Rectore GÜNTHERO,
præcipue ELIA WEISIO, quem eo tempore Zittaviensium Præce-
ptorem vel fidelissimum nominare nemo dubitavit. Inde missus in
Academiam Lipsiensem, tot Professorum iniit gratiam, quot ibi vi-
ros celeberrimos reperiret. Magistri gradum assumpsit M DCLXXVI.
post varia Disputationum specimina, bis pro loco inter Philosophos
consequendo, cum laude disputavit: donec Anno M DCLXXIX. mi-
noris Principum Collegii nominaretur Collegiatus. Incidit postea
pestis ingruentis periculum, ut plerisq; Lipsiam deserentibus, ipse si-
mul Rostochium concederet: cui civitati cum studia sua probasset,
Anno M DC LXXXI. in Academia Physices ac Metaphysices Pro-
fessor, paulo post ad Divi Jacobi Archi-Diaconus constitutus fuit:
aliquoties ibi Philosophorum Decanus, quin & Rector Magnificus.
Nece civitas denegavit conjugem ANNAM ELISABETHAM ER-
NESTI SULTMANNI Senatoris ac Judicii Præsidis filiam, unde
prolem sæpe conspexit, ac nepotes hæctenus feliciter suscepit. Collatus
simul fuerat Licentiæ Theologicæ gradus: cum paulo post a civitate Li-
psiensi vocaretur, ad D. Nicolai Diaconatum, An. M DCLXXXVI.
An. M DC XCII. esse jubebatur ad D. Thomæ Archi-Diaconus: quo
tempore simul extraordinariam Theologiæ professionem fuit consecu-
tus. Vivis interim excefferat incomparabilis Carpzovius M DCXCIX.
unde Pastor Ecclesiæ Thomanae dictus, Doctoris Theologici gradum
assumpsit, ac in Electorali & Ducali Consistorio locum invenit. Do-
nec Anno M DCC. simul esse juberetur Theologiæ Professor ordi-
narius. Bis ab hoc tempore Magnificus Academiae Rector, bis suæ
Facultatis Decanus. Interim ubi rebus nostris valedixisset supremus
in Aula Dresdensi Theologus, alter CARPZOVIUS: ipse denuo di-
gnus fuit habitus, qui CARPZOVIO succederet. Neq; molem hanc
vel declinare vel deprecari licebat, ut sub finem anni præterlapsi, tum
prima tum secunda Adventus Dominica, templi Electoralis cathe-
dram conscenderet, ac in Consistorio Consilarii Ecclesiastici munus
occuparet. Sed splendidis initiis obstitit morbus, cunctis Medico-
rum consiliis potentior: quod ex immenso renum calculo post mor-
tem patuit. Sic ultimis doloribus patientiam adhibens, ad DEum &
Redemptorem suum sese convertit. Ac recepto sacrae Synaxeos viati-
co die 24. Decembris velut in somnum prolapsus, animam Redemptori
tradidit. Cum itaq; solennes Exsequias præstiterint Dresdenses, nec
ab

ab hoc recordationis officio penitus abstinuerint Lipsienses: mihi datum est negotium, ut, qui Beatissimo Viro notitia prorsus intima fuissem conjunctus, aliqua dicerem, quæ caderent in qualemcumque meam sive eloquentiam, sive loquentiam. Nec ingratum in futurum arbitramur, tum moestissimæ viduæ, tum optimæ spei filio, tum duabus Lipsiæ familiis Pippingianæ & Frisianæ: quibus ut coelestis Paracletus, omnia tristitiæ remedia clementer indulgeat, etiam atque etiam precamur. Nunc verbis quidem brevissimis agendum est, cujus gratia præscriptionis hanc operam suscepimus: singulosque virtutum cultores & admiratores, quæ par est, observantia, rogo, velint ad diem crastini, finitis in templo vicino sacris, auditorio nostro præsentiam indulgere. Nam me Oratorem ipse polliceor, sin minus exactum & curiosum, sincero tamen affectu præconiis & encomiis unice deditum. Neque fas est, reticere FRATRIS ILLUSTRIS Nomen, qui cum negotiis extraneis ab hac pietate sit impeditus, sibi tamen hanc gratiam exhibitam fuisse fatebitur, si fraternos manes honorifica præsentia honestatos fuisse cognoverit. Hoc enim officio solatiis suis, & Christianis & politicis, quibus abundat, multum accessisse credet, si dolorificæ molis partem ipsa simul Patria libenter in se recepisse cupiat. Nec defuturi sunt, quos ipsum pietatis argumentum reddat promptiores. Excessit vigil, quem in Religionis & Ecclesiæ specula sedulum & attentum fore credebamus: Ut igitur pristinam benignitatem novo nunc documento feliciter aspirare videamus, conjunctis e quidem precibus opus est. Cæterum DEUS servet optimam Patriam, ut, effulgente religionis Sole, singula tanto felicius adjiciantur, quæ regnum DEI quærentibus largissime promittuntur. Sic quoque futurum est, ut quemadmodum è SELIMANNIANIS ædibus illustria Nomina prodire vidimus: ita semper extet aliqua Domus, unde nova virtutum lumina prodeant, nostroque Gymnasio sincerum pietatis ac fidelitatis testimonium perhibere possint. *Scrib. è Gymnasio*

die 23. Januarii MDCCVIII.

